



C. 151^a.



Cb 3592.

3

PROLVSIO
QVA
AD AVDIENDAS
ORATIVNCVLAS VI
PRO BARBARIS PHILOSOPHIS
ET CONTRA EOSDEM
IN
SCHOLA THOMANA
IPSIS KAL. SEPT.
HABENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
HVMANISSIME INVITAT
RECTOR
IO. AVG. ERNESTI

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

1738

PROFVSIO
AD AVDIENDAS
ORATIONES VI
PRO BARBARIS PHILOSOPHIS
ET CONTRA EOSDEM
IN
SCHOLA THOMANA
HABENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
HUMANISSIME INVITAT
RECTOR
IO. AVG. ERNESTI
LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEIMIANA.



um IOHANNES ERNESTVS
 KREGELIVS, Vir illustris et genero-
 sissimus, spectatam illam suam cognitamque
 liberalitatem ad iuuandam scholam Thoma-
 nam contulisset, in tabulis, quibus ea do-
 natio perscripta est, cauit, vt huius beneficii
 memoria exercitatione anniuersaria recoleretur, qua con-
 formari iuuenes ad eloquentiam solent: non, quod sic de-
 mum suae se liberalitatis fructum aliquem putaret captu-
 rum, si quotannis beneficii sui memoria instauraretur; sed
 vt leuis plerumque animi iuuenes vel sic intelligerent, qui
 dignum se, cum hoc, tum ceteris beneficiis praestare vel-
 lit, ei diligenter esse in eloquentiae studia incumbendum;
 in quibus cum praecipuae exercitationis tamquam partes
 essent, ea diligenter ipsos contineri oportere. In quo
 plus profecto Vir Illustris vidit, quam hi nostri vitio crea-
 ti Censores, qui totum hoc exercitationis oratoriae genus
 ablatum scholis et ereptum vellent. Nam et summos ora-
 tores hoc vsurpasse, et celeberrimos Rhetores ita praee-
 pisse reperimus, vt etiam haec aetas, quae apud Gramma-
 ticos legendis Poëtis, historicis, oratoribusque continere-
 tur, exercitationibus quibusdam oratoriis vteretur, quae
 grauioribus illis, tamquam prolusiones quaedam, prae-
 mitterentur. *) Quo magis haec nostra consuetudo exer-
 ceteri iuuenes ad eloquentiam in scholis inferioribus postu-
 labit, quae etiam artis rhetoricae initia iis tradi iubet. Ita-
 que tum demum mihi videntur ordinis nostri homines offi-
 cio suo satisfacere, cum in progymnasmatibus, quae vete-
 res vocabant, diligenter adolescentulos exercebunt, qui in
 intelligendis Latinis Graecisque auctoribus aliquantum pro-
 fecerunt, in primisque aliquam partem orationum Cice-
 ron

*) vid. v. c. Quintil. I, 9. -

IV

ronis audierunt ita explicari, vt etiam artes oratorias affe-
qui, et quomodo quaeque res tractata, confirmata, aucta,
extenuataue sit, intelligere potuerint. *) Nam cum imi-
tandi causa orationes Ciceronis enarrentur, quid proderit,
eas cognoscere, nisi, quae in iis animaduersa et notata sunt,
statim ad vsum transferre discas? Itaque interdum, quomo-
do aliquid, non ieiune quidem, neque lasciuie tamen, narra-
ri possit, videbunt, interdum, quomodo narrationes con-
firmant, aut conuellant: nunc aut personas, aut res com-
parabunt, nunc homines, leges, aliasque res, aut laudabunt,
aut vituperabunt; saepe etiam tractabunt Locum communem,
aut Syllogismum illum Oratorium, in cuius vfu vel maxime vis
oratoris cernitur, aut conclusiunculam aliquam philosophi,
quae quidem orationis ornamenta capiat, oratorie dilatabunt,
et quae sunt alia huius exercitationis genera, sine quibus
ad eloquentiam perueniri non potest. **) Vere enim cum
multi alii, tum etiam Christophorus ille Carolovicus, eques
Germanus, in aurea illa epistola, quam, de causis perditae
eloquentiae scriptam, Laur. Vallae Antidoto in Poggium
praemisit, in hac igitur epistola inter causas intereuntis elo-
quentiae recte etiam neglectas in scholis exercitationes ora-
torias refert, in quibus veteres, Cicerone auctore, ab ineunte
aetate plurimum et temporis et studii consumebant. ***) Nam

A 3

quod

*) de quo genere quaedam a me dicta sunt in Dedicacione Cice-
ronis, C. 4. **) Quintil. II, 4.

**) in operib. Laur. Vallae p. 251. ed. Basil. *Nec vero haec solum
parte nos ab illis tanto intervallo abesse, sed nec in exercita-
tione eos propius sequi, quae nec ipsa in minimis causis esset
ponenda eius, de quo proposuissemus. Vbi enim nunc, inquam,
in scholis vel nomina progymnasmatum illorum agnoscimus, quibus
quondam adolescentes ad dicendi facultatem praeparari sole-
bant, vt vel narrationem aliquam conderent, vel confirmarent,
reuelle-*

V

quod nonnulli propterea eloquentiae studium negant scholis conuenire, quod philosophiae tamquam neruis nitatur, et eius demum fundamentis erecta possit consistere; vereor, ut eam, quam putant, vim habeat. Magnus mihi videtur in philosophiae interpretatione inter eruditos error versari, cum plerique ita existimant, quam philosophiam dicimus, eam hunc demum scire, qui in Academia per philosophiae compendium aliquod cucurrerit. Itaque homines, cum de philosophia audiunt, de Wolfianae, ut nunc est, aut alius disciplinae compendio cogitant, quod ut aut probant, aut contemnunt, ita ipsam etiam philosophiam probandam aut contemnendam putant. Quodsi ita, ut videtur, philosophiae verbum interpretantur, qui eloquentiae studium nobis ereptum eunt, libenter fateor, philosophiam adolescentulos nostros non magnopere didicisse. Sed aliam philosophiam discunt, discere certe et debent et possunt, nempe eam, cui Cicero suam se eloquentiam fatetur debere. Bona vestra cum pace dictum sit, Viri docti: illa vestra philosophia non modo neminem oratorem efficiet, sed etiam, quo minus euadat, impedit: quam autem adolescentuli nostri philosophiam discunt, ea vero et per se, et quod ipsa diferta est, eloquentiam mirifice iuuabit. Ex illis enim ieiunis, aridis, semi-

reuellerentue aliquid, vel laudarent claros viros, improbosque vituperarent, vel compararent inter se aut bonos, vter melior, aut malos, vter deterior, vel locos communes in virtutes aut vitia meditarentur, vel thesin aliquam tractarent, vel denique legem aliquam suaderent, aut dissuaderent? Atqui haec erat vna, et vere germana exercitatio, qua nos viam nobis ad eloquentiam munire oportebat. Sed quid mirum, si hanc negligimus, qui tam multa alia item praeclara negligimus, quique adeo desides sumus, ut longis inuallibus vix epistolam aliquam, quod tamen grammatici operis est, scribere instituamus?

VI

femibarbarisque compendiolis, sine fucco et sanguine libris, et si multos aliquis annos in eorum angustiis contriuerit, tamen orator prodire non potest. Neque vero Ciceronem rustica et exsanguis Stoicorum aut Epicureorum disciplina, quae huic philosophorum recentiorum disciplinae simillima fuit, sed Academiae spatia oratorem fecere. *Illae enim sunt curricula multiplicium variorumque sermonum, in quibus Platonis primum impressa sunt vestigia.**) Atqui huius philosophiae veteris, disertae, copiosaeque facultatem, e Cicerone de officiis, eiusdemque Tusculanis disputationibus, e Xenophonte aliisque libris, quos aut enarrari sibi audiunt, aut sua sponte legunt, facile adolescentes nostri sibi comparare possunt. An vero dubium est, quin melius possit, plenius, copiosius, ornatusque de omni genere officiorum et morum differere, qui ista legerit, didiceritque, quam qui, verbi causa, siccitatem Thümmigianam confectatus fuerit. Quid autem est in philosophia, praeter illam de moribus et officiis doctrinam, et paucas Dialecticas particulas, quo quis iuuari se magnopere in eloquentiae studio speret? At nemo vnquam e schola inferiori orator exiit. Quasi vero quisquam sit, qui, in superiori schola cum disceret, oratorem se factum, vere possit dicere, ac non adeo multi sint, qui per totam vitam fieri, etiam cum velint, tamen non possint. Nam quod de *κατωδοδιδασκαλίας* Aristophanes, vere etiam de eloquentia dixeris: *πολλῶν δὲ πειραζόντων, ἔ πολλοῖς χαρίζεται.* Quod si quis etiam propterea neget eloquentiae studium scholis nostris concedendum, quod se in eo genere nihil meminit, cum id aetatis esset, proficere; idem profecto faciat, ac si quis, qui prosodiam in schola, cum puer esset, non didicit, propterea neget, eam esse in scholis discendam. Non omnes crasso aëre nati sunt,

*) Cic. Orat. 3.

funt, neque omnes eodem ingenii frigore retardantur. Sed vereor, ne hoc vnum agere velle videar, vt exercitationes oratorias scholis afferam; quod longe secus est. Nostra quidem parum refert, quid quisque de hac re cenfeat. Nam nec, si liberum nobis esset, vtrum vellemus hoc genere exercitationis vti, nec ne, cuiusquam nos opinio, quo minus iudicium nostrum potius sequeremur, impediret; nec, si censores nostros potius audire vellemus, fatis nobis, per muneris nostri rationem, liceret. Quare agamus id, quod agendum est, nunc etiam, cum et per se vtilis res sit, et voluntate Kregeliana nobis commendata, et adolescentulorum quosdam exercitatione aliqua oratoria vti sinamus.

De qua autem re vtilius et magis e consilio Kregeliano dicent, quam de ipsa eloquentia, quae non minus ac philosophia et amatores multos et osiores habet. Ac mihi quidem hoc etiam argumento magnitudo eloquentiae et praestantia videtur intelligi posse, quod, cum vera fuit, et placuit semper, et inuidiam horum commouit, qui eos, apud quos esset, obstare sibi et suis tamquam luminibus officere putarent. Itaque etiam videas, qui exterorum eloquentiam laudent, mirificeque extollant, eosdem aliter interdum de eloquentia ciuium suorum sentire. Chrysofostomi eloquentiam, quis non, etiam de fama, admiratur, et laudat, quis non Tillotsoni, Saurinique? sed et mortui sunt et, si viuerent, non nostrates essent. Si quis eis similis esse contenderet, apud alios laudem, apud suos inuidiam reperiet, fortasse etiam reprehenderetur. *) Dauid Ancillonius

Meten-

*) Cic. Tusc. V. 36. Est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro. Vniuersos, ait, Ephesios esse morte multandos, quod cum ciuitate expellerent Hermodorum, ita locuti sunt: *Nemo de nobis vnus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco et apud alios sit.*

VIII

Metensis superiori seculo fuit. Is, cum ea esset eloquentia, vt facile inter suos principatum obtineret, ita ab inuidis collegis vexabatur, vt multis molestiis coactus, sua sponte et munere et vrbe abiret. *) Hinc adeo natae sunt illae disputationes, vtrum in rebus diuinis, item in philosophia, locus eloquentiae esset, nec ne; in quibus, vt aut eloquentem quisque se putari vidit, aut non eloquentem, ita sibi statuendum putauit. Nam qui quidem, cum ipse eloquens esset, tamen eloquentiam reprehenderet, et a Theologia et Philosophia seiungendam diceret, neminem inuentum puto. Atqui hunc, si ita diceret, omnes aequo animo ferrent, quod nulla cupiditate ductus statuere de ea re videretur. Nunc, si quis indifertus ita disputat, etsi nulla inuidia tangitur, tamen committit, vt philosophis similis videatur, qui, quas non habent diuitias, aut consequi se posse desperant, eas magnifice contemunt. Et in Christiana quidem et ab ipso Deo nobis tradita, philosophia, in concione populi explicanda, num versari eloquens vir possit, et ista Demosthenea Ciceronianaque oratione, quam Cicero popularem vocat, quod ad plebis captum accommodata sit, et ab illa subtili et acuta philosophorum distinguit, ea igitur num vti possit, nunc nec ipsi disputabimus, neque in eo nostrorum orationem consumi volumus. **)

Illud

**) v. Discours sur la vie de Mr. Ancillon. p. 54. f. Bayle Diction. articl. Ancillon. B.

*) Fuit (Mr. du Bois) Boifus quidam Gallus. Is, cum Augustini epistolae Gallice conuertisset, et in eius libri capite multa in hanc sententiam disputasset, vt, qui eloquentes in rebus Christianis esse velent, eos et per se reprehendendos diceret, et ab Augustini sententia et oratione abhorre; Arnaldus, summus amicus eius et vir doctissimus, ei libellum opposuit hoc titulo: *Reflexions sur l'Eloquence des predicateurs, par Mr. Arnauld, Docteur de Sorbonne.* Paris,

n. 1694.

Illud et facilius fieri ab iis poterit, et est ipsorum studiis accommodatius, vt de vsu eloquentiae in philosophia in vtramque partem disputent. In quo non tacebimus, nos vsos esse quodammodo duabus epistolis contrariis, quae in Corpore Declamationum Melanchthoniano reperiuntur; quarum altera est Io. Pici ad Hermolaum Barbarum, pro philosophis barbaris, altera vero contra barbaros philosophos Hermolai Barbari nomine a quodam Germano, exercendi ingenii causa, scripta. Vsi autem iis sumus ita, vt, quae argumenta oratorum ornatum capere viderentur, ea deligerentur, oratorique auferentur et amplificarentur. Dicitur ergo primo pro barbaris philosophis, hoc est, contra eloquentiae in philosophia vsum. Quas partes imposuimus

CHRISTIANO LVDOVICO STIGLIZ, C. L. Fil.

CAROLO GODOFREDO WINCLERO, C. G. Fil.

PHILIPPO CASP. FRITSCHIO, Casp. Fil.

Lipsiensibus.

In

a. 1694. Amsterd. 1695. in 12. In hoc toto libello id agit, vt eloquentiae in rebus sacris vsus et sacrarum literarum auctoritati non repugnare, et ex Augustini sententia vtilem esse et necessarium ostendat. Age vero ex Augustini L. IV. de doctrina Christiana, qui totus est de eloquentia in rebus sacris, capitum titulos quosdam adiciamus, non, vt secundum eum iudicari de hac re velimus, sed vt, tanti hominis auctoritate interposita, modestius iudicetur: *Sapientia potior est eloquentia, nihil praestabilius vtraque iuncta. Scripturis sapientem et germanam eloquentiam inesse. Perspicue doceat doctor, et, si potest, etiam suauiter. Electendos esse animos, vt, quod faciendum intelligunt, faciant. etc.*

B

X

In horum autem argumentis diluendis versabitur oratio

CHRISTIANI WILHELMI KVSTNERI, Lipf.

GODOFREDI BENIAMIN FLECKEISEN, Doebelenf.

CAROLI CHRISTOPHORI FOLGERI, Beerendorf-
fensis Misnici.

Ad hos egregiae spei iuuenes, et suis quosque meritis commendabiles audiendos, vt frequentes conueniant scholae huius, atque adeo bonarum litterarum, Patroni et Fautores, magnopere rogamus.

Ceterum, et nunc intelligitis, qui haec legitis, et, si placuerit, audiendo cognoscetis, esse hanc exercitationem ex eo genere, quod supra diximus, auctoribus summis hominibus, huic aetati conuenire. Illud autem audiendo magis intelligi, quam nunc dici potest, hoc in primis actum esse, vt duae res, in dicendo maximae difficillimaeque, quas ipsis in Cicerone interpretando in primis demonstrauius, quomodo ad vsum transferrentur, discerent; quarum altera in rebus est, altera in verbis. Ea, quae in rebus est, amplificatio dicitur, cuius haec vis est, vt argumentis immoretur orator, eaque ita verset et voluat, vt, qui audiunt, eorum vim necessario percipiant; quae autem in verbis est, ad orationem vincendam pertinet. Et de amplificatione quidem multi multa dixere, de vincenda autem oratione, aut nihil vidi dictum a recentioribus esse, aut parum, neque id ipsum ita, vt intelligere satis quisquam, atque adeo exprimere scribendo possit. Itaque operae pretium duximus, de ea re quaedam hoc loco differere.

In vniuersa oratione tria omnino sunt, quae mihi tamquam vinciri videntur et constringi posse. Nam et singula verba
sunt

sunt et e singulis verbis enunciationes et ex his denique periodo, ambitusque verborum. Haec VINCIVNTVR, cum ita sibi iunguntur, ita alterum ab altero excipitur, ut ex pluribus unum factum videatur. Iam quod ad integras verborum comprehensiones s. periodos attinet, eae quomodo inter se iungantur, nunc non lubet dicere, neque adeo obscurum est aut difficile. Neque de verbis singulis difficilis adeo praeceptio est, quomodo contexti et vinciri possint. Tota res eo redit, ut extremae et primae verborum literae sint eiusmodi, ut in pronunciando in vnam vocem coalescere possint, quia, ut Dionysius ait, *) non est αἰσθητὸς χρένος μεταξύ τῶν ὀνομάτων: a quo deinde leniter fluere oratio et laevis esse dicitur. Exemplo de Graecis hi Sapphus versiculi sunt:

Ποικίλον αἰθάναι Ἀφροδίτη
 Παῖ Διὸς δολοπλόκε, λίσσομαί σοι
 Μὴ μὲ δάσαισι μηδ' ἀνίσαισι δάμνος
 Πότνια θυμόν.

Nam in his omnia verba, quoniam aut alterum definit in vocali litera, alterum a consona incipit, aut alterum in consona definit, alterum a vocali incipit, coeunt tanquam in vnam vocem; in illis autem duobus Διὸς δολοπλόκε eae consonae concurrunt, quarum concursus nihil asperitatis habet; quod ex eo iudicatur, quod easdem in eodem verbo occurrere videmus, ut in διόδοτος. Latinum exemplum addamus, in quod primum Ciceronis orationibus apertis oculi inciderunt: *hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant etc.* in quibus verbis non nisi ter consonae concurrunt literae. Ceterum in

B 2 hoc

*) de Strutt. Orat. S. 23.

hoc genere illa cautio est, ne nimis ea res studiose fiat, sed concursus consonarum vocaliumque admittantur. *Hoc vel maxime desiderat diligentiam, ut fiat quasi structura quaedam, nec fiat tamen operose; nam esset cum infinitus, tum puerilis labor.* *) Neque vero hoc vnum ad vincienda verba valet, sed illud etiam, cum ita collocantur, ut numerose voluatur et cadat oratio; quod genus orationis etiam *aptum*, vocatur, cui *solutum* et *diffuens* opponitur. Atque de hoc genere, *vincire*, est apud Ciceronem in Oratore, **) qui est locus de eo, quos ego quidem legerim, omnium praestantissimus. ***) Nobis autem animus fuit, de alio genere vincienda orationis, accuratius differere: de quo etsi, ubi de periodis praecipiunt veteres, eos agere reperio; tamen ea mihi non satis ab iis explicata ratio videtur. Dionysius Halicarnassius *κάλων ἀρμογὴν* appellat hanc rationem, et *δευτέραν τῆς συνθετικῆς ἐπισήμης θεωρίαν* facit, imprimisque necessarium esse dicit *τὰ κάλα ἀρμόσαι πρὸς ἀλλήλα, ὡς οἰκῆα φαίεσθαι καὶ φίλα.* ****) Sed, quae de ea re dicit, et pauca reperies, neque plena satis. Is vero, qui primo loco commemorandus erat Aristoteles, etsi hoc genus aptae vincitaeque orationis mirifice laudet, solutam contra reprehendat; ****) tamen nec ipse satisfacit in praeceptis de ea re scribendis. Neque aliter ceteri rhetores. Quid ergo? Quod illi in sua lingua et in ista arte non viderunt, in qua eos summos magistros agnoscimus, id tu te dices videre? Absit vero a me ista impudentia, ut me plus illis in hoc genere putem scire.

*) *Orat.* 44.**) *c.* 50.***) agit enim de hoc genere aptae vincitaeque orationis a *c.* 50. usque ad 71.****) *de Struct. Or. Sect.* 7.*****) *Rhet.* III, 9.

scire. Non mihi videntur diuini homines rem non satis calluisse, ex quorum scriptis eam me cognouisse fateor; sed, quia ita vsitata erat et peruulgata, vt plerique ea etiam sine praeceptis vterentur illis temporibus, propterea de ea nihil magnopere praecipendum putarunt. Quod si diuinare potuissent, sermoni Graeco Latinoque fatum esse, vt interiret aliquando, neque esset ciuitas vlla, quae Graeco Latinoque sermone vteretur; accuratius fortasse de nonnullis scripssissent. Nunc, ex eorum scriptis interdum, quae ab ipsis in praecipiendo praetermissa, aut breuius dicta sunt, coniecturis eruere et explicare debemus, quod in hoc ipso vinciendae orationis genere vsu venit.

Vere Io. Clericus, plerosque, ait, non aliter linguam latinam, adde et graecam, intelligere, nisi quatenus eam comparare queant, cum linguarum vernacularum vocabus, quas perpetuo cum latinis graecisque animo coniungant; hincque adeo fieri, vt cum latine loqui conentur aut scribere, non modo prius cogitent, quid sint dicturi, sed tacito etiam sermone vernaculo, apud animum suum, exprimant. Itaque postulat, vt, si quis latine scribere velit, latine cogitet, quod nisi facere possit latini sermonis veram rationem expressurum non esse. *) Sed, quod facile ex toto loco intelligas, de singulorum verborum vi et potestate loquitur Vir doctissimus, eumque latine cogitare putat, qui eas notiones singulis verbis subiicere possit, quas veteres ipsis iunxere, quod, etsi non nego, tamen in eo totum illud, *latine cogitare*, a quo latine scribendi facultas proficiscitur, non inesse arbitror. Neque enim in cogitando solum interest, quid cogitemus, sed etiam

*) *Art. Crit. P. II. S. I. c. 2. §. 36.*

XIV

quo ordine. Illud ad singula verba et ad formulas dicendi, hoc ad iuncturam copulationemque membrorum pertinet. Dicamus ergo breuiter quid de tota ista ratione sentiamus.

Cum, quo ordine cogitata Graeci, Latini, Germanique expriment, confidero, hoc potissimum discriminis reperio, quod Graeci Latinique scriptores ii, quos praestantissimos putamus, ordinem naturae seruant, nostri non item. Nam nostri quidem, causam saepenumero subiiciunt effectui, conditionem ei, quod, ea posita, fieri solet: permiscet item tempora, neque quae prius sunt aut fiunt, iis etiam priorem locum concedunt. Haec vtrum vitiosa sint, nec ne, nunc non disputo; vitii certe nemo arguit. Quid? quod, vt quisque apud nos elegantius scribere studet, ita solet esse in hoc genere frequentior. Sic recte dicitur: *Ich wolte das nicht ihun, wenn ich gleich noch so einen grossen Danck verdienen könnte. Man ist vor alters bey den jambischen Versen allein geblieben, weil selbige unserer Sprache am natürlichsten sind. Ich weis, wie schwer dies allen denjenigen eingehebet, welche die Versmacher Kunst und Poesie vor einerley ansehen; die von keinem Profaischen Gedichte und von keiner gereimten Prosa was hören wollen, ungeachtet eins so gemein ist, als das andere etc.* Neque vero rerum naturalem solum peruertimus ordinem, sed etiam, quae iuncta sunt natura, dissoluimus, neque eodem verborum ambitu comprehendimus. Nam qui optimi fere de scriptoribus nostris putantur, ita concidunt orationem, vt tota membriis singulis fundatur, in eoque elegantia quaedam inesse putatur. Quae omnia fecus dicendi scopus Latinos et Graecos elegantiores, qui hoc genus dicendi scopas dissolutas, calcem sine arena appellarent. Nam primo, quae natura, tempore, cogitatione priora sunt, iis in oratione etiam primas concedunt Graeci et Latini; deinde, quae natu-

natura iuncta sunt et copulata, ea, quantum fieri potest, vna comprehensione verborum coercent. Quae res, quoniam a plerisque ignoratur, neque satis animaduertitur, peperit nobis illos latinos scriptores, qui in summa verborum latinorum puritate et formularum loquendi elegantia, barbari tamen sunt et germanice scribunt. Age vero, vt ea res clarior sit, exemplis aliquot vtamur, inprimisque latinis. Rectumne putares, quisquis ista legis, si ita dicerem: *Ita statue, in iis artibus esse laborandum, quibus eae laudes comparantur, quarum gloriam adamaris.* Nihil habebis, quod in singulis verbis et membris reprehendas. Sed latine tamen haec et eleganter dicta non puto. Nam si membrorum ordinem consideres, videbis, eum a natura rerum longe discedere. Primum enim est *gloriam alicuius laudis adamare.* Hoc amore suscepto, proximum est, vt de *artibus* cogitetur, *quibus ad eam laudem peruenias.* His repertis demum sequitur, vt *in iis labores.* Itaque haec membra ita inter se iunxit Cicero: *quarum laudum gloriam adamaris, quibus laudibus eae artes comparentur, in iis esse laborandum.* *) Ex nostro sermone ita recte diceretur: *Tutores non videbant, quemadmodum in rationem inducerent pecuniam, et sine periculo suo dare possent, si eam praetori pupillae nomine dedissent, praesertim grandem.* Latinus, quia abhorret membrorum ordo a natura rei, ita non diceret, et quicumque de nostris hominibus latine sciunt, merum hic germanismum agnoscent. Quomodo igitur eadem latine dicentur? sic: *Tutores, pecuniam praetori si pupillae nomine darent, praesertim grandem, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo dare possent, non videbant.* **) Porro germanice rectus

*) ad Diu. II, 4.

**) Cic. Verr. I, 41.

Etus esset hic ordo : *Nam ea inuidia tibi ipsi tum pereundum fuisset , qua C. Iunius conflagrarat , nisi prouidisses. Latine autem sic ista membra vincires : Nam qua inuidia C. Iunius conflagrarat , ea , nisi prouidisses, tibi ipsi tum pereundum fuisset. *)* Huius generis exemplis totus refertus est Cicero, et qui me Ciceronem enarrantem audiunt, nullam horam abire sciunt, qua non multa huiusmodi exempla demonstrantur. Sed, quoniam hoc nunc agimus, aliquot, cum ex ipso, tum ex aliis subiiciemus, ut, qui de ea re non audierunt, quod de me colligo, aliis accidere potuisse, eo accuratius ex iis de tota ista ratione iudicare, latineque cogitare et scribere discant. *Quid? ii, qui dixerunt, totam de Diis opinionem fictam esse ab hominibus sapientibus reip. causa, ut, quos ratio non posset, eos ad officium religio duceret, nonne omnem religionem funditus sustulerunt?**) Longior est *gr̄is* ex Aristotele, in primis huc pertinens, de Nat. D. II. 37, quam ut possit transcribi. Alias igitur addamus: *Ego, si mea in te essent officia solum, Curio, tanta, quanta magis a te ipso praedicari, quam a me ponderari solent; verecundius a te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem.***)* Cum meum factum cum tuo comparo, *etsi non magis mihi faueo in nostra amicitia tuenda quam tibi, tamen multo magis meo facto delector, quam tuo.****)* *Ersi, quantum ex tuis literis intelligere potui, videbam, te hanc epistolam, cum ad urbem esses, esse lecturum etc. †)* Cum est ad nos allatum de temeritate eorum, qui tibi negotium facefferent, *etsi grauiter primo nuncio commotus sum, quod nihil tam praeter opinionem meam**

*) Verr. I. 61.

**) Nat. D. I. 42.

***) ad Diu. II, 6.

****) *ibid.* III, 6.†) *ibid.* 8.

meam accidere potuit: tamen, ut me collegi, cetera mihi facilissima videbantur etc. *) Videtis, istam rationem Ciceroni in omni genere orationis vsurpatam esse. Quid? Historici quoque ita vincunt orationem? Caesar quidem, qui omnium simplicissimus est, saepissime. Exemplum hoc sit: *Caesar etsi a bello atque hoste discedere detrimentosum existimabat, tamen non ignorans, quanta ex dissensionibus incommoda oriri consuessent; ne tanta et tam coniuncta populo R. ciuitas, quam ipse semper aluisset, omnibusque rebus ornasset, ad vim atque ad arma descenderet; atque ea pars, quae minus sibi confideret, auxilia a Vercingetorige accerferet; huic rei praeuertendum existimauit: et, quod legibus Aeduorum iis, qui summum magistratum obtinerent, e finibus excedere non liceret; ne quid de iure aut legibus eorum diminuisse videretur, ipse in Aeduos proficisci statuit etc. **)* Simillima est ἔξης L. VI. c. 36. Cicero qui etc. Neminem putem esse, quin intelligat, quantum haec ab ea ratione scribendi, qua Germanicae linguae auctores praestantiores vtuntur, discrepet; quod qui dubitat, si periculum harum ἑσέων germanicae conuertendam fecerit, facile intelligat. Sed Graeca quaedam lubet adlicere: Τῶν δὲ ἀρχόντων ἐν ταῖς πόλεσιν, ἐκ δόξας, ὅτι, ὅτινες ἀν τοῖς πολιταῖς αἰτιώτατοι ἄσι τὲ τῶν νόμοις πειθεσθαι, ἔτοι ἀριστοῖ εἰσι; (***) Σωκράτης δὲ, ὡς περ ἐγγύωσκειν, ἔτως ἔλεγε. (***) Comparata, si plura cognoscere lubet, IV, 2. 1. f. etc. Sunt enim innumerabilia; neque solum in Xenophontis libris, sed etiam apud Platonem et Demosthenem. Itaque hoc etiam in horum auctorum lectione animaduertendum est, vt eo facilius latine cogitare et scribere discamus. Sane, et in praefatione ad Xenophontis ἀπομνημονεύ-

C

μῆτα

*) *ibid.* 10. **) B. G. VII, 33.

***) Xenoph. Memor. Socr. III, 5.

****) *ibid.* I, 1, 4.

XVIII

~~per~~ monui, Xenophonteam hanc rationem a Cicerone esse expressam, et in enarrando libello disciplinae meae alumni intellexerunt, si Xenophontae comprehensiones ita latine conuertantur, ut idem ordo verborum seruetur, latinissimam interpretationem existere: Germanice autem si conuertere velint, totum plerumque verborum, membrorumque ordinem permutari oportere: ut mihi interpretatio Xenophontis aut Platonis, Demosthenisue plus ad facultatem latine scribendi videatur valere, quam interpretationes e Germanico factae; quibus si quis uti voluerit, diligenter demonstranda erit vinciendae orationis ratio, ne, cum latine scribere, putent iuuenes discere, Germanice scribere discant. Tum demum latine quis, aut sua sponte se scripsisse, aut e Germanico conuertisse credat, cum ea est latinae aut orationis aut interpretationis ratio conformatioque, cum ita apta omnia inter se membra et copulata sunt, ut nemo, e Germanico esse conuersam orationem, intelligere possit. Sed quoniam ratio vinciendae orationis satis demonstrata est, restat, ut de huius artis inuentione, usu et causis quaedam dicantur.

Et de inuentione quidem eius, quamquam, nullius veteris scriptoris auctoritate interposita, quo tempore, et a quibus ea inuenta sit ratio, definire possum; tamen non improbabili, ut mihi videtur, coniectura, Thrasymachum, Gorgiam aliosque Sophistas eius auctores facere soleo. Eius adeo coniecturae haec prima ratio est, quod ab iis id genus orationis vinciendae profectum est, quod in singulis verbis iungendis cernitur*); altera autem, quod in iis libris, qui ante ea tempora scripti sunt, non reperio; tamquam in Herodoti historia, in qua etsi quaesierim, tamen nihil ita vincitum reperi; ut mihi iure videar, si quid vsquam apud eum vincitum sit, existimare, quemadmodum, numero nondum

*) Cic. Orat. 52.

dum inuento, tamen interdum numerosi aliquid hominibus excidit; *) sic totum illud apud Herodotum etiam fortuitum potius, quam consilio positum, putari oportere. De Thucydide ipse Cicero auctor est, ornamenta in ipso comparere, orbem orationis se desiderare.**) Vel maxime autem orbem orationis conficit, membrorum vincendorum ratio. Desisse vero vsurpari, inprimis Dialecticorum, Stoicorum opera, e Dionysio colligas.***) Causas autem huius rationis et reperiendae et vsurpandae, cum suauitatem numeri, tum perspicuitatem puto. In quo non dubito, quin multi futuri sint, qui aliter sentiant. Sed primo, habeo auctorem idoneum Aristotelem; ****) deinde res pro se ipsa loquitur. Nam oratione ita vincienda, id quod e supra propositis exemplis perspicui potest, e pluribus enuntiationibus tamquam vna efficitur, a quo ipso vincendi appellationem tractam esse docuimus, et plures sententiae, tamquam crepidine quadam, comprehensione longiore sustinentur; quae res facit, vt facilius comprehendamus eas animis, quam si singulae sigillatim proponantur. Itaque etiam videmus, nostris hominibus obscuriores videri eos de nostris scriptoribus vernaculis, qui omnia solute dicant, quam qui vincte et apte. Si qui de obscuritate vincitae orationis queruntur, in se potius, quam in artem illam vincendi sermonis culpam conferant. Nam si voluissent aut veteres latini auctores, aut nos vellemus ita scribere, vt omnes, etiam ne mediocriter quidem latine docti, facile omnia intelligere possent, melius esset non scribere. †) Ceterum,

C 2

*) *ibid.* 65.**) *ibid.* 71.***) *de Strucl. Or. S. 4.******) *Rhet. III, 9.*†) *v. Cel. Gesneri praef. ad Vorstium de Latin. Sel.*

terum, quae de periodorum in vniuersum vsu praeceperunt veteres, ea huc omnia transferenda sunt. Vbiq̄ vincire velle, etiam vbi nihil est magnopere, quod vincias, h. e. quod natura vinctum copulatumque non sit, id vero fastidiosum et vitiosum foret. An vero etiam nobis Germanis ista ratio, quantum possit, imprimis in orationibus, imitanda sit, de eo, quamquam haberem, quae dicerem, tamen, et spatio exclusus, et aliis causis commotus, dicere nunc praetermittam. Neque vero dubito, quin multi sint, qui malint etiam in nostro sermone vincta legere, quam ita crebris interpunctionibus confecta et concisa, vt sibi in arenarias delati esse videantur; quod non in minori vitio ponunt, quam si quis ita omnia male contexat, vt, tanquam, vbi punctum opus sit, nesciat, ita per plures paginas vix vnum atque alterum sibi excidere patiatur. Quod si qui vero sint, quibus etiam in latinis oratio vincta displiceat, iis illud Ciceronis opponimus:*) *Hoc modo dicere nemo vnquam noluit, nemoque potuit, quin dixerit. Qui autem aliter dixerunt, hoc assequi non potuerunt. atque vt plane hoc genus, quod ego laudo, contempsisse videantur, scribant aliquid hoc more: tum illos existimabo, non desperatione formidasse genus hoc, sed iudicio refugisse etc.* Scr. Lipsiae IV. Kal. Septembres A. C. MDCCCXXXVIII.

*) Orat. 70.



Ch 22181 80

vd 18

ULB Halle

3

004 222 466




TA → OL^f

neu 1+ 2 Stück verbunden

me







Cb 3592.

3

PROLVSIO
QVA
AD AVDIENDAS
ORATIVNCVLAS VI
PRO BARBARIS PHILOSOPHIS
ET CONTRA EOSDEM
IN
SCHOLA THOMANA
IPSIS KAL. SEPT.
HABENDAS
PATRONOS ET FAVTORES
HVMANISSIME INVITAT
RECTOR
IO. AVG. ERNESTI

LIPSIÆ
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

1738